

atque ab omnibus eruditissimus haberi cœpit. Addictus semper studiis, pietatem numquam deseruit, et mirum sanè fuit, juvenem omnibus carum, et in deliciis habitum, ingenio fecundo, vultu semper hilari, indole dulci, alloquium sententiis gravibus refertum, candorem innocentiae, ac vitae integritatem ita servasse, ut ad extremam usque ætatem, nihil in seipso unquam potuerit offendere hac in re, quod flagitii loco notari posset, ac reprehendi, contra hujus eximiae virtutis jura commissum. Dificilè dictu est, quantò gaudiò afficeretur cum aliis benefacere posset, vel aliquem gaudere intelligeret: hunc animum in omnes propensum, ac mirificè benevolum, præcipuè in pauperes, oppressosque, carcere devinctos, usque ad extremum vitae servavit. Assiduus cultor ab ineunte ætate Beatissimæ Virginis Mariæ in Transfixione Dolorum semper fuit; et parvam ipsissimam imaginem, quæ sua tenerrima ac puerilia vota suscepit, adolescentiæ, virilitatis, senectutisque orationibus frequenter coluit. Coram Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quo passim a pueritia reficiebatur, summa devotione pronus, in preces morabatur. Presbyter factus sacrificium Misæ, fidissimo, pio ac reverenti animo offerre consuevit. Ad erudiendam juventutem die ac nocte, cum scriptoribus Augusti seculi, resentioribus philosophis, ac Theologis illustribus, delectabatur: et ut omnes profiterentur, semper in Seminario scientiarum ac litterarum cultum avidè promovit. Sed licet tot, tantisque oneribus Magisterii onustus, vitam ageret actuosam, in prædicatione verbi divini, præsertim catechetica, morali atque dogmatica, sese multoties occupabat. Modicum tempus ad vacandum et se reficiendum assumebat, et inter eruditiores Seminarii Magistros, aliosque doctrina præstantes viros, de Ecclesiastica historia, ac dogmatica Theologia, quibus mul-

tum profecerat, sermocinando trahebat, hujusmodique sermones interjectis salibus, ac venustate jocorum, ita condiebat, ut omnes scientiarum amatores ad eum sæpenumerò convenirent, ac illius colloquio recrearentur. His omnibus summam gravitatem, ac modestiam, severamque morum integritatem, ut ecclesiastico viro par erat, mirabiliter junxit.

Hæc omnia et alia, quæ nec referre lingua unquam poterit, in Seminario Tridentino Guadalaxariensi jam ex tunc, et in ipso ætatis flore, omnium amorem, ac venerationem conciliarunt, quinimmo magnam de illo spem omnes concipiebant.

Post annorum octo curriculum maximo dolore domum educationis reliquit; quia patronus, ut ne tot labores indonati præterirent, ad regendam Parochiam, vulgò *Zapopam* et Curam animarum habendam, Episcopo eum præsentavit. Obtento munere Parochiali, tot suis viribus, instituendis populis, eradicandis vitiis, et bonis moribus promovendis, peritiam, eruditionem, verba et exempla convertit; adscitis operariis, quos suis expensis alebat, cum eis parem laborem impartiendo. In pauperes facilis, ac liberalis; omnibus etiam minimis illum adeundi semper aditum patuit. Itaque boni mores de die in diem, magis atque magis in sua Parochia florebant, ut a Dignissimo ejus Episcopo, tanquam norma et veluti exemplar, omnibus suæ Diœcesis tam latè diffusæ, animarum onere beneficiatis, sæpissimè proponeretur. Inter pastoralia ministeria propensum in litteris animum nunquam remissit; sed ultra, magna volumina sacrarum litterarum, sanctorum Patrum, et scriptorum Ecclesiæ legebat die, ac nocte perlegebat, jugiterque ruminabat. Ut his studiis in quibus versatissimus erat, operam daret, illiusque bonus animus visu parentum senium in benigniore climate recrearetur, paupertate contentus, aliud beneficium curatum in emolumentis abundantius renuntiavit; sed tanti viri doctrina

ac eruditio in uno solo Parœciæ ambitu contineri nequibant, opus erat, ut eis universa quoque respublica frueretur. Idcirco ab eo tempore libertatis patriæ fortunato in pluribus comitiis, populi optimates, auctoritatesque sæculares, et ecclesiasticæ, illius operâ ita usi fuerunt, ut nullum in posterum esset comitium quo de salute Reipublicæ ageretur, quod Joannes Cajetanus consilio, æquitate et prudentia, non moderaretur, dirigeret ac hominum proborum attentionem excitaret, ne ab illius sententia dissentirent.

Cum igitur quindecim rexisset annos Parochiam supradictam, et postquam decenio simul ad legum latorum generalia comitia deputatus fuisset, in Episcopatum Mechoacanensem evectus est ab electione Capituli hujus Sanctæ Ecclesiæ, petitione nostri Gubernii sæcularis, et confirmatione Pontificis Maximi Gregorii XVI felicis, æternæque memoriæ. In ejus electione singularem Dei Providentiam nemo non agnovit, certè nulla humanæ industriæ tentamina interfuerunt, illa etiam, si qua innocua sunt. Vir noster ab episcopatu omnino alienus, immò, ut omnibus compertum semper fuit, atque ipse sincero quo pollebat animo sæpe confirmavit, nunquam ipse in mentem venerat, eventurum, ut de illius promotione aliquando ageretur. Arduum ac periculosum episcopale munus tandem accepit Joannes, gravatus pondere tantæ dignitatis, gratulatus vero honore supremæ dignationis, plenus pugnis foris, intus timore. “¿Quis sum ego, sese humillimè interrogabat, ut episcopis adscribere queam?” ¿Sed quomodo non obedio eligentibus, petentibus, maximèque confirmanti? Imponere super humeros meos hoc gravissimum onus supra me est; non obedire contra me est. Utrobique periculum; sed in ea parte majus imminere videtur, si non obediero: itaque exiens qua minus apparet, faciam quod mihi juvetur; etenim excusat præsumptionem auctor tas-

imperantis. Attamen vix ad hanc sedem episcopalem promotum Joannem Cajetanum Respublica mexicana aspexit, et omnes sibi invicem gratulabantur, quod Principem ecclesiasticum omnium virtutum genere apostolico ornatissimum, pium, sapientem, strenuum, circumspectum, cunctisque iis dotibus, qui ad Episcopatum integrè ritèque administrandum, atque ad populum sibi concreditum verbo et exemplo pascendum necessarii sunt, præditum ac munitum a Deo essent consecuti.

Talis profectò erat Antistes noster eo tempore, quo in summum fastigium sacerdotale evectus fuit. Revocate, quæso, in memoriam illos alacritatis et jubilationis dies, in quibus ad portas civitatis nostræ accessit. Popule Mechoacanensis, meministi? ¿O felix dies, sollemnis ejus ingressus in qua vidimus post longissimam orbitatem Pastorem ovilis, Patrem populi, sublimioribus virtutibus collustratum, acumine ingenii, ad difficillima quæque expeditum, intelligendi incomprehensibilia celeritate, decernendi gravia á levibus maturitate; agendi rebus in arduis maxima industria; summa in negotiis contrahendis æquitate, mirabili rectè conjiciendi facilitate; singulari dignitatem et gravitatem jungendi cum insigni festivitate ac moderatione, gratia, effussis in egen-tes ac miseros solatio, benignitate, pietate et religione! ¿Quid plura? Virtutes omnes quinimmò quæ prima specie oppositæ videntur, in altissima ejus mente, nexu conjunctionis valido, copulatæ sunt: humilitas cordis cum animi celsitate, severitas judicis cum Patris lenitate, robur animi cum amicitiae aut charitatis indulgentia vel prudenti dissimulatione, magnitudo dignitatis cum exiguitate paupertatis, uno verbo, christianum egregium et parvulum evangelicum mirificè et jucundissimè in Joanne Cajetano omnes amici aut inimici, si quos habuit, tandem agnoscunt. Domus, viæ, tem-

pla et fora, inusitata specie hilaritatis pastorem novum sperabant: incredibilis populorum, non modo eorum qui finitimi, sed eorum etiam qui remoti sunt, frequentia, ad hujus Civitatis portam qua triumphalis patebat aditus nostri desiderati Pastoris cerbatim confluebat, et omnes sibi ita plaudebant de felici tanti Viri appulsu, quasi minimè de communi bono consulerent, sed tantum proprio congratularentur. Positus jam in hac episcopali Sede, sicuti qui stagnatis aquis exitum aperuit, ita Joannes virtutibus omnibus iter ampliavit: et qui ad honestum, justum ac bonum ex animo in Civitate guadalaxariensi ardore juventutis, mexicanaque initio virilitatis, insitum amorem patefecit, hunc in sua Diœcesi confirmavit. Ideo pietas ejus, animique religio, tam diuturna, tam constans, tamque omnibus nota fuit, ut nec privatim intermissa unquam, sed maximè publicè ad exemplum, splendidè decoreque culta, et nec laudatio quidem dici possit, sed nostri mœroris, maximique luctus in hoc amplissimo loco demonstratio. auditores donec fuerit virtuti honos, Joannis Cajetani nomen, laudesque manebunt: et neque annorum cursu, neque exemplorum similitudine, ejus memoria deleri poterit. Vereor tamen, viri ornatissimi, ne dum in publicum defuncti Episcopi nostri gesta afferro, existimetis me illum usitatis factis exornare; quæ quidem dum facerem, licet solita essent, ipse tali animi magnitudine agebat, ut communia jam non fuerint, sed peculiaria, ac rara meritò viderentur.

In primis noverat, nullam existere virtutem, nisi à Divini Numinis cultu originem duxerit. Recordamini, quæso, exercitium virtutum. Intuemini fidem, qua sacris mysteriis iterum atque iterum semper aderat, qua de ipsis mysteriis, totisque catholicis veritatibus loquebatur; qua sacras scripturas profundè meditabatur et inefabilem Providentiæ ordinem, in selecto populo, institutioneque christianæ religio-

nis, grato animo contemplabatur. ; Quoties eum abjectum vidistis, supplicemque oculis in ara Dei crucifixi intentis orantem, *cunctaque postulans bona omnibus populis suæ Diœcesis?* ; Quoties offerentem hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam his verbis, voce sonora, dignitate ac gravitate plena, lentèque prolatis "SUSCIPE SANCTE PATER" quæ Ecclesia in ore omnium sacerdotum imponit ad populum animadvertendum incruenti sacrificii initium? ; Quoties, ut alium David laborantem in gemitu suo, lavantem per singulas noctes lectum suum, lacrymisque stratum suum rigantem? ; Quoties ad Confesarii pedes, deposita majestate, signis pœnitentiæ afflictum, iteratis pectoris tusionibus, humi procumbentem, peccata detegentem, fundentemque lacrymarum ingentem alluvionem, ut ea levia, quæ miserrimæ fragilitati longe abire datum non est, expiaret, munusque Deo Patri omnipotenti offerret, nempe animam puram immaculatam, nitidam, venustateque gratiæ splendentem? ; Quoties cœlesti pane, angelorum esca, se reficientem, vinoque virgines procreante, se munientem? ; Quoties in ordinationibus conferendis vultu rubro, Sanctorum omnium, ac præcipue Beatissimæ Virginis Mariæ intercessionem deprecantem, Spiritusque divini dona petentem? ; Quoties.... sed quo progredior auditores? Multoties, millies atque decem millies pueris sacramentum Confirmationis ministrantem populisque, ut sollicitum præconem, evangelium instituentem vidistis. Nunc vero.... ; proh dolor! ; oh crudelis memoria! ; oh tristissima hominum conditio! Una eripuit hora; frigidus Joannem obsignat lapis: arctus contegit tumulus; pulvis obruit exiguus.

Sed magis rectè atque magis christianè judicemus. Si excessit e vita noster Præsul, sua humilitas, paupertas, liberalitas, fides, charitas, pietas, omnes virtutes denique in memoria hominum nunquam morituræ: e contrario semper

illius in negotiis gravitatem, in labore constantiam, in studiis litterarum ac scientiarum doctrinam, præstantem in republica et Ecclesia tuendis curam, in rebus arduis singularem prudentiam, in periculis tandem magnanimitatem supernaturalem et quasi cœlestem, æternâ omnis generatio ventura fama celebrabit. Nec verò silebitur admirabilis quædam, et incredibilis, ac penè divina ejus in explicandis Scripturis sacris et rebus ad Statum et Ecclesiam pertinentibus tractandis, scientia. Omnes ex quacumque dignitate qui in hac republica intelligentiam quæstionis ecclesiasticæ habuerunt, inter se conferantur. ;Quis tamen ex novæ Jerusalem zelo ardentissimo consumptis, inter nobiles almæ Religionis athletas, et fama, et gloria, et Ecclesiæ laude signo quodam splendidæ ovationis potiorè jure recensetur? ;Quis illo fortior ad prælianda prælia Dei? ;Quis firmior in æternis Ecclesiæ juribus a novatorum tentaminibus vindicandis? ;Quis celerior ad præbenda remedia publicis calamitatibus et cavenda opportunè pericula moribus et fidei imminentiâ? ;Quis ut ille gaudere potuisset dono quodam consilii et, ut ita dicam, incomparabili caliditate qua nos, et omnes quam sæpissimè, ille miratione vinctos habebat; et qua protinus ille adversariorum retia vitabat, et sese difficillimis Ecclesiæ et Reipublicæ adjunctis expeditum sentiebat?

;Quid, si de fortitudine ipsius sermonem instituum? Nunquam ille magis convenientiæ consuluit quam dignitati. Responsa in sacrorum jurium propugnatione Principibus sæculi data, sunt testes. Exilium amplexum inter delicias vitæ et asperitates viarum, inter domus quietem et itineris turbationes, inter familiæ curas et molestias temporum, inter lecti commoda et stationum varietates, immortalis memoria erit vitæ gloriosæ. Pastorales litteræ de episcopalis muneris gravitate, de jure patronatus, de decimis, de Immaculata

Virginis Mariæ Conceptione, de religione ejusque Mysteriis, ac fidei catholicæ dogmatibus, sermonesque doctrinales totidem monumenta erunt, quæ ingenium, sapientiam, assiduitatem, zelum, eruditionem Antistitis nostri, omni tempore et ubique prædicabunt. Infinitus essem, si diœcesana edicta, decreta opportuna, resolutiones varias quæ ad perpetuam memoriam tanti viri in tabulariis nostris servantur, et passim occurrunt, non laudando describere, sed numerando recensere vellem. Studii perpetuus amor atque juventuti maxima adhæsiō in vita sua labores juvenum leniebant, et Præceptorum constantiam sustinebant; nunc vero magnum omnium dolorem augent et desiderium finis avidissimè cupiunt.

Immensus forem, inquam, si in lucem afferre vellem omnia gesta, omnia exempla, omnia egregia, tot virtutes, tot singulares dotes, tot immortalia præconia, quæ, ut totidem gemmæ, formosissimam Joannis animam suæ vitæ curriculo ornare; et veluti Pastorum specimen aspectui vestro, et populo suo, et universo terrarum orbi illum exhibuere. Pudore afficiantur nefarii: nam suam ferocem insaniam, eorum libidines, ambitionem, crudelitatem, et avaritiam; gravitate, continentia, humilitate, benignitate, ac liberalitate, Joannes confundebat, mitigabat, frænabat, ac corripbat: Sese erubescant stupidi, ignavii, pertinaces, profusi, scelerati omnes, ingenio, diligentia, suavitudine, moderatione, Prælati, qui tanto honore tantoque decore hanc tribus lustris et tribus annis Ecclesiam beatissimè rexit.

Non prætereunda tamen præclarissima gesta ad informandam juventutem in omni litterarum ac scientiarum genere. Surge, Popule selecte, cara juvenus, desine paulisper flere: obtestor atque deprecor, ornatissimi Viri, ut gemitus vestros brevi tempore intermittatis, et omnia beneficia, si possi-